DE SUDORE UNILATERALI PROFUSO ET HABITUALI OBSERVATIO RARA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
PHILIPPINA
UT SUMMI
IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVI. MENSIS JULII ANNI MDCCCLI
PUBLICE DEFENSURUS EST

GEORGIUS THEOPHILUS SOECHTING,
ZIEGENHAINENSIS.

MARBURGI,
TYPIS JOANNIS AUGUSTI KOCHII.

INGRESSUS.

Per bienniam, quo schola in clinica duce Ill. Heusinger hic florente versatus sum, inter permultos morbos accurata perscrutatione dignos unus prae ceteris attentionem omnium non minus singularitate quam affectionis obscuritate valde incitavit. Sudor enim profusus atque habitualis unius faciei et colli lateris observationi se praebuit. Quem casum satis dignum habui, qui in dissertatione describatur, et ad hunc finem aegrotum non solum omni diligentia perscrutatus sum, sed etiam scientiae nostrae annales indagavi, ut quae de hac affectione usque ad nunc observata sint, invenirem. Nonnulli mihi occurebant casus nostro similitudinem quamdam praebentes, quos uno loco conferre, ut inter se comparando forsitan, cuius naturae sit morbus ille tam mirus et unde originem ducat, investigemus, me haud immerito suscipere censui.

Primum igitur mihi liceat, casum, quem ipse vidi quam accuratissime describere, tum ceteros, qui sunt in medicorum scriptis sparsi casus huic similes addere, et denique inquirere, num nostri temporis physoilogia illius rei natura atque causa possit explicari.

Sed non possum, quin pro summa erga me liberalitate atque benignitate, qua vir Illustrissimus, praeceptor dilectissimus non solum mihi casum illum describendi permissionem dabat, sed etiam quacunque ratione hoc in opusculo conficiendo mihi suppeditavit, gratias ei ago quam possum maximas. —

Ineunte Mense Maio anni h. s. XLIX mater Conradi Aldefeld, e pago Bortschhausen, in clinicum medicum Marburgense venit, auxilium petens pro filio jam diu extremitatum inferiorum debilitate laborante atque solum dextro in latere faciei et colli, sed nunquam in sinistro, valde semper sudante. Responsum illi datum aegrotum ipsum huc se conferre oportere atque si ire non posset advehendum esse.

Die XVI mensis Maji aegrotus ipse advenit; iter pedibus quidem superaverat, sed ita tamen, ut ad hoc perficiendum permultum ei temporis opus erat. Se annos triginta duos natum esse et arti scrinariae operam impendere dixit. In pueritia, ut narravit, ad collum tumores diversi exstiterunt, praeterea autem semper optima valetudine gavisus est. Ante vero duos annos affectio, de qua nunc queritur, sine ulla causa ipsi nota initium cepit. Complures medici, ut auxilium darent, implorati sunt ab aegroto, sed frustra; extremitatum inferiorum debilitate magis magisque aucta vix artem suam exercere potuit. Ciborum appetitum sicut reliquas functiones physiologicas omnino statu esse in optimo confitetur. Inspectione aegroti haec reperta sunt:

In adspicienda dorsi columna Scoliosis ad latus sinistrum circiter pollicem unum a vertebrarum dorsa-

lium prima usque ad sextam, et Lordosis quaedam in vertebris lumbalibus animadversa est. Nulla autem vertebra totius spinae dorsi perversa, nulla, si premebatur, aegroto dolorem incitavit. Vertebrae cervicales omnino juste atque recte se habuerunt. In facie nihil mutatum, in sensuum organis nihil perturbatum. Dextra extremitas inferior debilior quam sinistra. — Aegrotus sudavit in latere dextro a vertice usque ad claviculam, sed accuratissime usque ad lineam medianam capitis et colli; latus sinistrum omnino siccum fuit; capilli latere in sinistro sicci, in dextro valde humidi.

Distorsionem duplicem columnae dorsi osteomalacia vertebrarum effectam esse habebatur, et quod jam antea haec affectio bene superata erat situ, victu, oleo jecoris Aselli interne ac praesertim iterata applicatione ferri candentis in distans et eo ipso tempore aegroti duo in nosocomium recepti iisdem remediis sanati erant, etiam hunc aegrum sanari posse Ill. Heusinger censebat, et ei proposuit, ut in nosocomium reciperetur. Quod propositum aegrotus prompto animo accepturus erat, sed subito mater ejus, megaera altera errumpebat, duris verbis clamans filium unicum senectutis solatium esse, se malum atque turpem eum habere, si maneret, et vi eum secum traxit. Quia vero morbum magis magisque crescentem jam, ut mater resistens concedat, effecturum esse credebatur, aegroto, ut domi adhibeat, praescriptum est, Oleum jecoris Aselli et Limatura ferri interne, sicut unguentum nervinum ad inungendum dorsum.

Die XXII mensis Maji Aldefeld rursus advenit, et quum nimis citato gratu iter fecisset, in utroque quidem latere sudavit, sed in dextro multo vehementius quam in sinistro capitis et colli. Postquam nonnihil

quievit, sudor sinistri lateris evanuit. Tum aegrotus, quia cibum se capientem magis sudare narasset, aliquid panis edere jussus, statim in dextro capitis latere ita sudare coepit, ut guttae a crinibus dextri lateris valde copiosae destillarent, et sudor in facie deflueret; sinistrum vero latus mansit siccum. Sudorem sibi ad lectum transgresso minuere dixit aegrotus. — Sensibilitas in utroque latere eadem; caloris haud discrimen. Extremitates superiores, quod attinet ad vigorem, aeque se habebant; in exercenda arte tantum inferiorum extremitatum imbecillitas atque praesertim dextrae aegroto impedimento est.

Die XVI mensis Junii, quo aegrotus rursus apparuit, haec de eo in diario clinico notata sunt:

Aegrotus sic satis bene se habere contendit, sudorem autem esse eundem, tantum per noctem decedere. Aliquid panis edere jubebatur, quo facto magnae guttae in dextra, quae jam antea humida erat, faciei parte statim exortae confluebant et per faciem destillabant; haud aliter crines manare coeperunt; attamen tantum usque ad claviculae inferiorem marginem cutis sudabat; mediana linea sudoris terminus distincte erat expressus, qui in capite, fronte, naso, mento, colloque usque ad manubrium sterni plane cerni potuit. Latus totum harum partium sinistrum erat siccum. Humidi dextri lateris capitis capilli politi, si ita dicere licet, dependebant, sicci vero sinistri lateris erecti erant. Secretiones cavitatum oculorum, nasi, orisque nihil habebant, quod a statu physiologico discedebat. Sensibilitas ac temperatura utriusque lateris erat eadem. Nulla columnae dorsi, ut jam antea, vertebra sub attactu dolorem movens; dorsi et thoracis musculi in utroque

latere eadem nutritione; utraque extremitas superior aeque bene nutrita; utramque aeger pari modo movere potuit. Respirationis organa in utroque dimidio bona. Extremitatum inferiorum debilitas eadem ac antea, praesertim dextrae, quae etiam macrior quam sinistra. Interdum se formicatione et convulsionibus quibusdam in extremitatibus inferioribus affici aeger narravit.

Iterum aegroto exponebatur, esse optimum ad morbum plane delendum, si in nosocomium reciperetur; cui proposito, quamquam ipse non repugnabat, tamen illa mater summa ira inflammata vi eum abstrahebat. —

Jam vero ex hoc tempore Aldefeld haud rursus rediit; ab aliis autem pagi ejus incolis iterum ac saepius certiores sumus facti, statum morbi ejus semper esse eundem, atque eum omnes illos, qui urinam de morbi genere quasi oraculum consulere solent et alios hujus generis homines in propinquitate babitantes adhibuisse, sed mirabile est dictu audituque! sine ullo eventu. —

Haec fere sunt, quae de casu nostro ex diario clinici medici exhaurire, benignitas directoris Ill. Heusinger mihi permisit. Sed ad hanc commentationem juste elaborandam aegrotum ipsum iterum perscrutatus sum tam diligenter atque accurate, quam mihi licuit.

Priusquam vero ad aegroti descriptionem ipsam transgrediamur, Anamnesi, quam supra paucis ex diario pronuntiavimus, nonnulla alia addenda mihi videntur.

Aldefeld nunc triginta quatuor annos natus, jam ante septem annos uxorem duxit. Quo ex martimonio puer exortus est, qui semper bona valetudine usus nunc annos sex natus est. Pater hujus fuit unicus parentum filius, atque genitorem sexaginta novem annos natum

morbo quodam acuto, ut videtur, pneumonia, affectum amisit, quum totam per vitam semper bona gavisus erat valetudine. Mater adhuc vivens, sexaginta octo annos nata, semper, si eam jam a prima aetate modo majoribus modo minoribus intervallis aggressam esse affectionibus epilepticis negligimus, sana atque valida, ut etiam hoc tempore, fuisse dicitur. Conradus Aldefeld puer et adolescens semper optime sese habuit; interdum tumores ad collum apparebant. Circa annos quatuordecim natus scabie affectus est, quam tribus in diebus unguento a homine quodam ei praescripto depellebat. Paulo post in extremitatibus inferioribus aliud exanthema quoddam, ut ex descriptione aegroti videtur, Impetigo, iterum se ostendebat, quod mox quidem sine ullo remedio cedebat, sed haud multo post saepius modo hoc loco, modo in abdomine, thorace, nunquam vero in facie vel collo, ita rediit, ut semper celeriter sponte evanesceret. Inde ab hoc lassitudo quaedam aegrotum saepe turbavit. Viginti vero annos natus, ut narrat, sine ulla certa causa, subito vertigine quodam atque visu nebuloso ita corrumpebatur, ut res qui in propinquo erant, haud perspicue distinguere posset. Emplastro vesicatorio ad cervicem applicato hae affectiones mox decesserunt. Quo autem ex tempore usque ad hoc vertigo quaedam remansit, quae interdum aegrotum afficit, et praesertim mane in surgendo se augit.

Exeunte aestate anni h. s. XLVII Aldefeld, se, ut confitetur, nulla valetudinis perturbatione praegressa, haud ea facilitate atque celeritate, quam antea ire posse, sensit. Quam affectionem omnino negligentem mater iterum atque iterum attentum fecit, eum durius at majore vi dextro pede ingredi quam sinistro, atque in

eundo crus dextrum tam mire introrsum vergere. Eodem fere tempore et destructio vertebrarum columnae et sudor unilateralis faciei collique initium cepisse videtur, etsi aegri ex narratione haud plane et dilucide apparet. —

Sed transeamus nunc ad aegroti descriptionem.

Aegrotus mediocri statura est et architectura, musculis modice nutritis, cuti tenera ac molli, capillis flavis, barba rutila, iri coerulea. Corporis habitus aetati respondens.

Aegrum inspicienti statim praecipue tres corporis mutationes se ostendunt,

Discrimen quoddam inter utrumque faciei latus,

Nutritio diversa inter trunci atque extremitatum latus dextrum et sinistrum, et denique Distorsio duplex columnae vertebralis. —

Describitur facies et collum.

Ossa cranii bene atque recte sese habent; facies ad longitudinem protracta, frons altus quidem, sed haud multum projectus; tubera ossis frontis modice prominent; nasus magnus, aduncus, ad latus sinistrum apice quidquid versus; oculi magnitudine mediocri; os magnum; mentum longum et acuminatum; collum longum, tenue, organa ejus normalia.

Capitis autem latera tali modo inter se differunt:

Toto in faciei atque cranii dextro latere cutis humida est, qüi humor perpetuus accurate mediana in linea capitis finem habet. Si diligentius adspicimus, semper copiam maximam guttularum sudoris infima ex cute emergere cernimus, quae in frontis atque faciei plicis quasi ad rivulos se conjungunt, tumque jam magnae guttae destillant. Quae sudoris secretio habi-

tualis atque profusus non solum in capite invenitur, sed eodem modo latus dextrum colli et cervicis, regio dextra infraclavicularis usque ad fere medium musculum pectoralem majorem, dorsum usque ad locum vertebrae quartae dorsalis, denique extremitas dextra superior tota in regione musculi deltoidei perpetuo sudat. *Omnibus his locis linea corporis mediana terminus sudoris distincte atque accurate positus est.* In regione infraclaviculari et capite secretio autem multo manifestior est, quam in ceteris commemoratis regionibus, qua de causa finis sudoris inferior certior statui non potest. Maxime vero sudor elucet in capitis parte crinita; hic dextri lateris capilli semper manare videntur.

De reliquis, quae huc pertinent, sudoris rationibus haec tantum destinari potuerunt. Sudor chartam exploratoriam coeruleam paullum rubescit. Cernitur sudor quoque anni et diei tempore; noctu tamen, si aegri verbis fidem tribuere possumus, evanescit. Neque aestatis calor magnopere eum auget, neque hiemis frigus eum minuit. Crescit quum inter masticandum, tum in quosdam edendo cibos, quales sunt res acres, exempli gratia caseum, acetum, piper, cinnamomum, alimenta sale valde condita; tum etiam sudor augetur bibendo coffeam, spiritum frumenti, in fumenda Nicotiana herba. Affectiones animi haud aliter ac corporis labores secretionem reddunt copiosiorem. Latus sinistrum faciei atque colli, sicut reliquum corpus, quod attinet ad sudoris secretionem, a statu physiologico non abhorrent. Id quod valde mirum videtur, in permagnis corporis exercitationibus, praesertim in aestatis calore, sudor lateris sinistri faciei multo est major quam dextri.

Discrimina, quae praeterea inter capitis collique dimidia nos non effugiunt, haec fere sunt. Latus faciei dextrum magis turgere quam siništrum, jam perspicuum ex diverso cutis colore. Dextra enim pars majorem praebet vigorem, qui jam, aegroto quiescente, haud negandus, praesertim vero quum aeger corporis laboris vel animi affectionibus excitatus sit, apparet et ita tamen, ut gena dextra omnino, minime autem sinistra, rubescat. Tum etiam musculis dextrae lateris tonus paullo major adscribendus et tela cellulosa sicut adeps hac in parte copiosior est, quo fit, ut faciei dextrae plicae minus clare in oculos incidant quam sinistrae. Temperatura dextri faciei dimidii gradibus duobus vel tribus Thermometri centigradi superat sinistri. — Linguae dextra pars paullulo crassior quam sinistra; lingua protracta quoquoversus movi potest. Positio ejus ipsa nihil habet quod notabile; aeque sese habet uvula. Dentes in utroque oris latere mali; carie affecti arte sponteque remoti sunt:

In dextra superiori maxilla,

dens molaris primus et quartus.

In sinistra,

a secundo dente molari tantum radices necrosi affectae dentium reliquorum molarum adsunt.

In dextra sicut in sinistra maxilla inferiori,

deest primus dens molaris, secundi dentis molaris corona.

Eadem in utraque cranii parte capillorum copia et color idem.

Barba haud aliter se habet.

De functionibus physiologicis nullum lateris dextri et sinistri discrimen. Auditus, visus, odor, sapor, mo-

tus in utroque latere idem; sermo clarus, distinctus; masticatio eadem in utraque parte. Secretiones sinistrae faciei a secretionibus dextrae differe comprobari nullo modo potest. Nullum oculorum splendoris discrimen; nasus sinister aeque humidus ac dexter. Nusquam in cute Anaesthesia quaedam animadvertitur: Colli partes molliores differentiam haud praebent memoria dignam. Dextrae partis musculos paullulo esse laxiores facile declaratur eo, quod aegrotus caput sinistrorsum quidquid flectere solet.

In capitis arteriis, temporali et praesertim maxillari externa nullum, quod momenti esset, discrimen inveniri potuit. Carotidis autem communis sinistrae pulsus debilis, oculis vix cernendus, dextrae vero plenus, magnus, per totam arteriam perspicuus. Subclavia et radialis utroque in corporis dimidio aequaliter sese habent. Venae nullum, quod cerni potuit, discrimen prae se ferunt. —

Describitur thorax atque extremitates.

Thoracis formatio singularis est. Linea mediana sterni ad sinistrum corporis latus haud parum declinat. Nam si lineam perpendicularem a medio mento ad umbilicum statuimus, ducitur trans marginem dextrae articulationis sterno-clavicularis, a medio sterno ejus marginem dextram tangens, trans partem adscendentem cartilaginum ultimarum dextri lateris costarum, quas nominamus veras, pollicem unum in latere dextro processus ensiformis, paullatim ad lineam corporis medianam convergens.

Thorax latus quidem sed planus. Partem sinstram thoracis, quod attinet ad circuitum, justo majorem esse quam dextram, cum in primo adspectu, tum accurata

mensura apparet. Nam si medio in thorace a linea mediana sterni metimur usque ad processum spinosum quintae vertebrae dorsalis, circuitus continet

in latere sinistro 48 Ctm.
„ „ dextro 47 Ctm.

Eadem fere, aliis in thoracis locis mensura facta, nobis occurit differentia. Huc accedit, ut dextra pectoris pars magis sit applanata, quod hujus partis musculi paullo validiores.

Percussione atque auscultatione respirationis organorum nullo in latere quid cognovimus, quod esset notandum. Exquisitione circulationis organorum haec inventa sunt. Cor magnitudine atque situ normali; ictus diffusus in spatio intercostali quinto, ipsa sub mammae papilla, facile attactu et visu distinguendus. Tubo acustico primi soni loco cordis in a pice satis apertus strepitus percipiebatur, qui ad sternum minutus in sinistro sterni margine sonus suppressus fiebat. Super arteriam pulmonalem loco primi soni asper, vix sensibilis strepitus, in arcu aortae sonus primus exilis auscultabatur. Secundus cordis sonus ubique, sed tener quidem, adest, super arteriam pulmonalem non auctus. —

Extremitatem utramque, et superiorem et inferiorem. contemplantibus nobis, satis elucet, discrimen circuitus atque musculorum nutritionis esse inter dextram et sinistram. Circuitus enim sinistri brachii ubiqne dextri superat circiter pollicem unum; musculi dextri laxiores, debiliores. Aegrotum se ambidextrum esse contendit, modo hoc modo altero brachio se artem exercere. Majus etiam discrimen est extremitatum inferiorum, quod satis apparet his mensurationibus:

Circuitus superiori in parte		
femoris dextri	continet	44 Ctm.
„ sinistri	„	49 Ctm.
super genu dextrum	„	35 Ctm.
„ „ sinistrum	„	$36^1/_2$ Ctm.
ad suras dextras	„	34 Ctm.
„ „ sinistras	„	$36^1/_2$ Ctm.

Musculi dextrae extremitatis inferioris omnes multo laxiores atque tenuiores, quam sinistrae et ejusdem brachii lateris.

Ad hunc statum, si licet dicere, atrophicum dextrae inferioris extremitatis, Paresis quaedam accedit. Destructio organica neque in articulatione femoris neque genu animadvertitur. Aeger tantum mole atque magna pedis sinistri opera ac labore ire potest. Pedis dextri habitus similis est pedi varo, quem vocant paralyticum.

Describitur columna dorsi.

In dorsi columna adspicienda statim distorsio duplex distinguenda est, Lordosis enim atque Scoliosis ad latus sinistrum. Qua ratione singulae vertebrae se habeant, ex sequentibus apparet. Columna vertebrarum cervicalis ad dextrum latus inclinata est, nam linea perpendicularis a summo processu spinoso vertebrae ultimae cervicis, cujus in linea corporis mediana positio justa et bona, ad lineam cranii medianam ducta, spatium inter tuber ossis occipitis dextrum et suturam sagittalem plane dividit in partes aequales. Tuberculum atlantis posticum ab hoc linea $^1/_3''$ remotum est. Vertebrae cervicales singulae omnino recte sunt collocatae atque formatae, si septimam cervicis vertebram justo magis prominere et sinistra quidem in parte maxime negligimus. Ut, quantum vertebrae dorsales et lumbales distorsionis duplicis participes sint, certe

definiamus, lineam perpendicularem a summo processu spinoso ultimae cervicalis vertebrae ad maxime prominentem ossis sacri lineae medianae partem ductam, optime adhibemus.

Ab hac linea abhorret ad latus sinistrum

vertebra	dorsalis	prima	1	Ctm.
„	„	secunda	$1^1/_2$	„
„	„	tertia	2	„
„	„	quarta	2	„
„	„	quinta	$2^1/_2$	„
„	„	sexta	$2^1/_2$	„
„	„	septima	$1^1/_2$	„

Eae quae sequuntur vertebrae paullatim ad lineam medianam convergunt et ita tamen, ut vertebrae lumbales superiores tantum $^3/_4$ Ctm. sinistrum ad latus decedant, mediae jam in linea illa perpendiculari positae sint. — Lordosis, quamquam in vertebris dorsi superioribus initium capit, tamen a quinta plane elucet.

A linea supra ducta deflexa est ad anteriorem thoracis partem

vertebra	dorsalis	quinta	$3^2/_3$	Ctm.
„	„	septima	$4^1/_2$	„
„	„	nona	$5^1/_2$	„
„	„	undecima	7	„
„	„	duodecima	$8^1/_2$	„
„	tumbolis	prima	9	„
„	„	tertia	$7^1/_2$	„
„	„	quinta	7	„

Ex his perspicue cognoscitur, maximam Scoliosim in quintae ac sextae vertebrae dorsalis regione, maximam Lordosim in inferioribus dorsi vertebris et superioribus lumborum existere.

Processus spinosi non valde prominent, nulla vertebra inter tactum digiti vel spongiae calidae dolorem efficit.

Casus alii unius lateris sudoris.

Prae ceteris observatio, quam M. Bernard Rocques societati medicae in urbe, quam vocant Montem pessulanum communicavit*) nostro casu similitudinem praebet quam maximam.

Liceat igitur mihi eam verbis quibus excerptam legimus in libro „Magazin der ausländischen Literatur der gesammten Heilkunde von Dr. Gerson und Julius, Bd. VII. pag. 116“ hic referre:

Ein vierzigjähriger starker, blutreicher, sehr empfindlicher und reizbarer Mann fiel im Juni 1802 zwölf Fuss hoch von einem Boden auf das Pflaster eines Stalles. Der Fall geschah auf den Rücken und der Kranke empfand zugleich nicht sehr starke Kennzeichen von Hirnerschütterung, welche aber bald, da sie ohne Fieber waren, nach einem starken Aderlass am Arm, sparsamer Kost und Kräutertrank mit Spiesglanz verschwanden. Besinnung und Sprache kehrten bald wieder, aber der Kranke fieng nun an, über einen heftigen Schmerz der Rückenmuskeln, sechs Querfinger breit unter dem untern Winkel des linken Schulterblattes zu klagen. Dieser Schmerz hielt ohne sichtbare Aeusserlichkeiten vierzehn Tage an und nahm dann ein ganzes Jahr lang trotz aller örtlichen Mittel nur sehr langsam ab, in un-

*) Annales cliniques de la société de Médecine practique de Montpellier, Janvier et Fevrier 1820, tome VII, 2. série.

regelmässigen Zwischenräumen wiederkehrend. Vierzehn Tage nach dem Falle hatten sich auch Spuren von Rückenmarkserschütterung gezeigt, nämlich: Erschwerung des Stehens und Gehens, die auch allen Mitteln zum Trotz anhielt. Auch die deutliche Sprache litt lange Zeit, so wie bei schnellerem Gehen und Steigen Herzklopfen und erschwertes Athmen da waren. Doch verschwanden diese letzten Zufälle von selbst. Vier Monate nach dem Falle zeigte sich Schwitzen der rechten Seite des Kopfes und Halses bis zum Anfang der Schulter (jusqu' au moignon de l'epaule), genau durch die Mittellinie des Körpers begränzt. Dieser Schweiss war am stärksten während der Mahlzeit und eine Zeitlang nach dieser. Der Beobachter sah ihn, wenn der Kranke ass, von den Theilen, wo er Statt hat, so reichlich herabfliessen, dass man den Kranken jeden Augenblick abwischen musste. Auch wurde er durch traurige Gemütsbewegungen, Bekümmernisse des Geistes und den Beischlaf vermehrt, nahm dagegen im Bett bei allgemeiner Ausdünstung ab. Auch die Kälte schien ihn zuweilen zu vermindern. Anfangs war er auf der ganzen erwähnten Seite gleichmässig, nahm aber nach einem Jahr an deren Hintertheile unter der behaarten Gegend ab, während er nach vorn blieb. Die Empfindlichkeit und Zusammenziehungsfähigkeit der Muskeln des Halses und Kopfes in der erwähnten Gegend war aber nicht verändert. Vierzehn oder funfzehn Monate nach dem Falle litt er an etwas getrübtem Gesicht, besonders des linken Auges, an Schwerhörigkeit des rechten Ohrs (was aber schon vor dem Falle gewesen war) einige Monate lang, welche aber bald verschwanden. Als der Beobachter den Kranken

1816 sah, erzählte ihm dieser, dass der Schweiss sich seit drei bis vier Jahren etwas vermindert habe, woran aber wahrscheinlich mehr sein Abmagern und das vorrückende Alter des Kranken Schuld war. Wirklich nahm seit Erscheinung des Schweisses die von ihr befallene Gesichtsseite an Magerkeit merklich zu und die Haare ergrauten an dieser Seite schneller und allgemeiner als an der anderen.

M. Bocquis hunc casum*) observavit:

M. Bresson géomètre de l'intendance de l'île de Corse âgé de trente-six ans, de grande stature, d'un tempérament sanguin et d'une constitution tres-robuste, eut à l'âge de douze ans une diarrhée dyssentérique qui fit craindre pour sa vie. Relevé de cette maladie, et étant en convalescence, il se sentit suer de la joue gauche, et de tante la surface de la tête du même côté. Cette sueur a toujours continué depuis, de manière que dans quelque climat qu'il ait été, l'hiver comme l'été, il n'a jamais cessé d'avoir cette evacuation cutanée avec plus ou moins d'abondance.

Lorsque M. B.... prend ses repas, la sueur devient plus considérable; l'humeur se rassemble en petites gouttes sur la joue, et tombe en ruisselant sur l'épaule, s'il n'a pas l'attention de l'essuyer assez promptement. Les alimens assaisonnés avec les aromates, l'oignon ou l'ail, augmentent beaucaup cette excrétion; les acides du vinaigre et du citron, joints aux alimens, produisent le même effet.

*) Sur une sueur partielle et permanente de la moitié de la téte par M. Bocquis, chirurgien aide-major de l'hôpital militaire de Bastia en Corse. Journal de Médecine 1787. Tome LXXIII. pag. 49.

J'ai observé plusieurs fois et attentivement cette sueur. J'ai vu qu'elle occupait toute la moitié gauche de la tête, compris le visage, depuis l'occiput jusques à la partie antérieure et latérale du cou; qu'elle suivait et se bornait exactement à cette ligne qui divise la tête en deux hémisphères égaux, pendant que tonte la moitié droite restait absolument sèche. Si par un grand exercice la sueur devient générale, c'est-à-dire qu'elle se manifeste sur toute l'habitude du corps, elle est constamment beaucoup plus abondante du côte gauche que du côté droit, en suivant la ligne mitoyenne qui sépare le corps en deux.

Depuis l'époque de la dyssenterie qui a précédé cette sueur, M. B.... n'a point eu de maladies notables, et il jouit présentement d'une très-bonne santé, d'où l'on peut inférer que cette évacuation continuelle lui est salutiere et qu'il serait dangereux de la supprimer.

M. Febvre huncce refert casum*):

M. le chevalier de .... demeurant à Breteuil en Normandie, âgé de soixante-dix ans, taille de cinq pieds, plutôt maigre que gras, n'ayant plus de dents, mais du reste, la bouche et langue tréssaines, agile pour son âge, se promenant deux heures tous les jours de l'année lorsque le temps le permet, plus gai que mélancolique, n'ayant, pour ainsi dire, jamais eu d'autres maladies ni infirmités que la pituite, à laquelle il a été de très-bonne heure, et est encore sujet; et usant du tabac dès jeunesse, fut attaqué, en 1778, d'une fièvre qui dura

*) Sur une sueur partielle et extraordinaire par M. Febvre, docteur en médicine à Breteuil en Picardie, Journal de Médecine 1786. Tome LXVIII. pag. 466.

quarante jours, et qai se termina par des dépôts aux deux parotides, dont la suppuration plus abondante du côté droit que du gauche, dura en tout quinze jours et l'humeur, suivant le jugement de son médecin, était très-bènigne.

Aussitôt que les dépôts furent ouverts et la suppuration bien établie, la fièvre disparut en entier. M.... alla de mieux en mieux, et dès que les plaies furent cicatrisées, il commença à reprendre quelque peu de nourriture solide, ayant été forcé de ne vivre que de bouillon clair, et autres alimens semblables pendant tout le temps de la suppuration; la première fois qu'il en prit, il se sentit suer de la joue droite, au point d'être obligé de s'essuyer plusieurs fois pendant ce premier repas, qui fut très-léger.

M.... attribua cette sueur à la faiblesse à la quelle la maladie l'avait réduit et crut qu'elle irait en diminuant et cesserait à mesure que le forces naturelles lui reviendraient; mais son espérance fut bien trompée, car au lieu de diminuer, cette sueur alla en augmentant, au point que bientôt en mangeant, il sua non-seulement de toute la surface du pariétal et de la joue droite, mais un peu aussi de la joue gauche, le reste du visage et de la tête, et toute l'habitude du corps restant absolument secs.

Cette évacuation cutanée ne se manifeste que pendant la mastication; ce temps passé, M.... parlerait continuement un jour et une nuit, qu'il n'en suerait pas une goutte; mais tous les alimens, de quelque espèce qu'ils soient, les solides, comme les liquides, les doux, comme les âcres et les épicés, produisent ce phénomène: cette excrétion est si abondante du côté droit,

que l'humeur dégoutte sur l'époule, lorsque M.... oublie, ou tarde trop à s'essuyer et le côté de sa perruque en est toujours pénétré.

Hartmannus, quem ipse expertus est, dextri lateris sudorem in inaugurali dissertatione*) descripsit tali modo:

Praeter illud, quod dextrum latus peculiariter hic sudor occupat semperque et prior est et copiosior illo, qui in altero latere sub vehementiori demum sudatione exstillat, hoc quoque commemorandum est, ipsum hunc sudorem vel a levissima causa fieri effusissimum. Atque haec est omnis tam prodeuntis ejus, quam permanentis ratio. Quoticscunque lateri dextro imminet, vel moderatissima corporis agitatione, vel temporato ad modum colore, vel attenta quadam animi medidatione vel alia quacunque causa, sanguinis motum etiam perquam leviter augente, irritatus, primo in dextram genam ea, quae interno oculi cantho propior est, parte madorem emittit parum percipiendum, mox vero celerrime in guttas coit maximas, frontisque, et nasi, et menti, et pectoris, et omnis reliqui corporis partem exacte dimidiam, largissimo latire perfundit. Qua durante illuvie illud quoque singulariter observandum est, adfectum atque sudore inundatum latus ad tactum frigere, alterum vero naturali suo tepore esse temperatum. Tandem in sinistro quoque lateri sudoriferi pori suos humores emittere incipiunt; vero autem, nisi summa sit sudatio, ultra madorem sudant. Cui quidem sudoris hujus insoliti effluentiae varias nonnullas singulares ejusdem lateris

*) De sudore unius lateris a Petr. Immanuel Hartmann, Halensis. Halae 1751. §. XVIII.

infirmitates adjunctas sentio, quarum aliquas, quae ipsum sudorem cognatione maxime attingunt mihique indefiniter fere atque perpetuis insultibus infectae sunt, conciso expediem sermone. Potiora in caput intenduntur mala; quandoquidem illud frequentius ex ἡμικρανίᾳ dolet; dexter oculus sinistro multo hebetior est; dextram narem incessabilis occludit gravedo atque destillatio et ipsa lingua, dextra sui parte, veluti subnervata, difficilius movetur. Universo vero lateri dextro, praesertim scapulae, femori et tibiae, continui incumbunt rheumatismi. Taceo frequentes dextri pulmonis dolores acutos et veluti punctim illatos, ipsosque insignes ex dextro solum hypochondrio labores.

Courmette nobis narrat*)

J'ai vu a Toulon un jeune homme qui éprouvait des sueurs très-considérables en été, même sans faire aucun exercice. Ce qu'il y avait de bien digne de remarque, c'est que les sueurs ne paraissaient que dans la partie latérale gauche de son corps; elles étaient surtout excessives à la tempe, à la main, et au pied du même côté. Ce jeune homme, pour se délivrer de cette incommodité, avait fait usage de toute sorte de remédes topiques, quoi qu'on ne cessât de lui dire qu'il était très dangereux de chercher à supprimer ces sueurs. Il parvint enfin à les arrèter; et fier de son succés, il se mocquait de tous ceux qui avoient désapprouve ses tentatives. Mais peu de temps aprés, il ressentit une douleur à la partie latérale gauche de la poitrine. Il

*) Observations sur la division des corps de l'homme en deux grandes parties latérales, Journal de medécine 1790. Tome LXXXV. pag. 43.

survint une tumeur de la grosseur d'un oeuf sous l'aisselle du même côté. Ces accidens le tourmentèrent beaucoup. On lui conseilla les bains et les epispastiques au pied et à la main gauche; mais il ne voulut point se rendre à ce sage conseil. Je quittai Toulon à cette époque, et quelques mois après, il me marqua que la tumeur, qu'il avait sous l'aisselle gauche avait disparu, que la douleur qu'il ressentait à la poitrine du même côté où il avait la tumeur, était devenue bien plus forte; que souvent elle lui ôtait la respiration; qu'il ne pouvait pas foire le moindre exercice sans être essoufflé, et qu'il maigissait tous les jours. Je reconnais m'écrivait-il, mais peut-être trop tard, combien j'agissais imprudement, quand je faisais tout au monde pour arrêter ces sueurs. Je vais dans le sein de ma famille pour y faire usage des remèdes qu'on m'a conseillés; mais je crains bien de n'avoir plus pour le reste de mes jours, que du regret et des souffrances.

Rommelius hanc observationem refert:

Illustr. et generosa quaedam Baronissa, re exigente, ad sudorem proclivis, in lecto facile sudare potest, nec leve inde juvamen sentit, utpote erysipelate haud raro vexata. Circa sudationem tamen hoc singulare habet, ut quoties sudare vult, unicum saltem latus, et quidem illud, quod liberum est, et cui non incumbit, sudare observet, altero omnino sicco manente; cum itaque ad sudandum se componit, illi latere incumbere necesse habet, quod sudore minus opus habere credit, alia demum vice, alterum latus etiam pari modo ad sudandum, debito sito, dispositura Mirum sane videri pos-

*) Miscellanea curiosa sive Ephemeridium natur. curios. D. II. A. 10. obs. 194. pag. 376.

set, oppositum et minus incalescens latus sudare, cum tamen rationi et naturae magis conveniens videatur, latus magis calefactum et reliqui corporis mole, praeter stragula, magis onustum, quam illud, quod respectu hujus, lecto vel stragulis leviter saltim tectum est, sudare debere. —

Alier mulier, scirrhosa hepatis duritie laborans, mihi retulit, se neque in lecto, neque in sudatorio (quod more plebejo per se et proprio consilio facere solita est) in latere et hypochondrio dextro sudorem prolicere posse, etiamsi latus sinistrum recte madeat et sudorem emittat. Imo non solum dictum latus non sudat, sed quod magis mirandum, dum totum corpus reliquum invalescit et sudore quasi diffluit, hoc tamen latus semper siccum et frigidum manet et patiens frigus haud leve illius lateris seutit.

P. Francus narrat*) de viro quadam Argentoratensi qui in dextro solum latere corporis per omnem vitam sudabat. Vidit auctor in fronte et alibi dextrum latus sudore madere sinistrum nunquam. Aeger decessit sexaginta annos natus ex hydrope.

Jacob Schmid sudorem unius lateris observavit**) in sudoris ejusdam uxore. Quae femina, narrat auctor, succiplena, ceteraquin sana et vegeta, ubi corpus a motu vel calore externo, vel assumto sudorifero calefit, in singulis sinistri lateris partibus a capite ad calcem usque sudorem profundit largissimum, in dextro vero la-

*) Miscell. cur. sive Ephem. nat. cur. Dec 1. Ann. IV et V. obser. 100.

**) Miscell. nat. cur. Dec. II. Ann. II. obs. 126. p. 287.

tere re minima sudoris gutta nec mador unquam erumpit, id quod ego partim non modo saepissime vidi, sed ipsa quoque hoc a pueritia, quandum recordari potest, non aliter contigisse, constanter asseverat. Quod autem hic quam maxime ad mirandum mihi videtur, illud est: quoties haec foemina ex marito concepit, (est autem quinque jam liberorum mater) statim a conceptionis et hinc toto gestationis tempore sudorem per corporis partes in utroque latere ordinarie prorumpere observat; exantlatis vero partus laboribus, eo ipso momento dextri lateris pori concidunt ac firmissime iterum clauduntur, adeo, ut ipsa sudorem totius corporis pro infallibili conceptionis indicio et quasi pathognomonico impraegnationis signo in se jam agnoscat, habeatque. Extra ingravidationis vero tempus etiam in balneo calidissimo per diaphoretica maxime volatilia (quod aliquoties tentatur) sudor nulla tenus elici potest. Ipsa interim nulla hinc sentit sanitatis in commoda nisi aliqualem sinistri brachii ac totius fere istius lateris gravidatem, forsan a latice seroso illuc copiosius affluente oriundam.

Bichat in Anatomia generali*) refert de homine qui ex apoplexia affectus est hemiplegia, ita ut in latere corporis sinistro omnis movendi facultas sublata sit. Aegrotus tantum hoc in latere sudabat; linea per medium corpus ducta humidissimum latus sinistrum atque siccum latus dextrum exactissime definiebat.

Marcellus Donatus**) de sudore narrat qui sinistram

*) Bichat, Anatomie générale. Paris 1812. Bb. IV. pag. 703.

**) De medica historia mirabili. Lib. VI.

capitis partem viri cujusdam post prandium et coenam semper occupavit.

Hartmannus in dissertatione dicit de femina cujusdam viri quae quoties gravida erat, toties in uno solum latere sudabat; tum de Chirurgi cujusdam uxore, perpetuo fere ex cordis palpitationibus laborante, quae sinistri solius lateris sudoribus perfundebatur.

Homo quidem ex*) altera tota genu magnas stillavit guttas, dummodo eidem linguae lateri, quod quasi excoriatum esse videbatur, paucillum salis immitteretur.

Thilenius**) in viro quodam hepatitide affecto observavit sudorem dextri solum lateris; magnae guttae in dextra frontis parte exstiterunt.

Ingenio humano, quod non solum observat phaenomena, sed illorum causam et sedem quoque investigat, haec sudoris unilateralis exempla sese afferre non poterant, quin illud incitaret ad causarum indagationem. A diversis supra commemoratis observationibus igitur diversae causae nobis sunt oblatae.

Rocques affectionem deminutioni sensibilitatis atque contractilitatis organicae vasorum exhalantium in cutis parte, in qua sudor habitualis percipiebatur adscribendam esse censet atque remediis revulsivis, derivativis et tonicis, victu roborante et exercitationibus, quae ac-

---

*) Mém. de l'acad. roy. des sciences 1740.

**) Thilenius, Beobachtungen über Leberentzündungen im Neuen Journal der practischen Heilkunde von Hufeland. Bd. X. 1803. pag. 84.

commodatae essent, gymnasticis malum omnino sanari posse contendit. —

Hartmannus eadem fere opinione est. Demonstrat enim secretoriorum vasorum debilitatem atque dilatationem ipsi junctam singularem lateris dextri sudorem plane efficere. —

Mira quadam ratione Rommelius casum, quem ipse observabat, explicare studet. Dicit: forsan pori illius lateris, cui incumbit femina ista (supina jacere illi molestum) ob molem reliqui corporis superjacentis arctius constringuntur et canaliculi, quibus latex serosus continetur et glandulae subcutaneae, ab incumbenti onere viscerum, musculorum, totius imo corporis nimium comprimuntur viaque praecluditur, quo minus serositas in iis contenta ad- et exfluere possit. —

Schmidtius observationem suam acuratioribus quidem naturae Mystis expendendam relinquit, sed tamen hoc modo disseret: Utrum partes sinistri lateris pluribus ac majoribus vasis lymphaticis vel speciali prae reliquis conformatione, an vero cutis in ea corporis parte speciali pororum dispositione et structura a primo ortu ita facta gaudeat et pluribus glandulis subcutaneis, majorem seri copiam recipientibus et emittentibus? Vel an Archaeus partium sinistri lateris alacrior ac robustior sit, e contra vero dextri lateris partium torpidior ac debilior, nonnisi a spiritu seminali excitatus excrementum serosum expellere tentet?

Thilenius dextri lateris sudorem hepatitidis signum vidit, et Mangoldus sudorem modo sinistri modo dextri lateris mirum sed praeteriens hypochondriasis symptoma, in se ipso observavit. —

Mehlis in commentatione*) de morbis hominis dextri ac sinistri primus *nervorum variam incitationem* sudoris varii causam esse contendit. Legimus enim: Si capite pluribus nervorum cutaneis plexibus excellente nullam corporis partem dimidio suo latere sudore vel modum excedente vel praeter naturam deficiente, saepius laborare cogitamus, si earum partium, quarum nervi resoluti sunt, auctum sudorem perpendimus, nec praetermittimus, ab animi affectibus saepe totum corpus, modice profundi: vix possumus, omnis sudoris dimitiati causam nervorum incitationem esse in utraque corporis dimidia parte differentem. — Quae sententia, num comprabanda sit, videbimus, quum ea, quae hodie de sudoris secretione satis constant explicavimus. —

Sudor solum a glandulis sudoriferis secernitur. Hae glandulae jam a Malpighio ac Stensonio sunt repertae, quo facto opinio, quae antea florebat, sudorem ex vasis capillaribus, quae paullo post accuratius „vasa exhalantia" dicebantur, exhalari poris, plane extinguebatur. Sed aliquo tempore praeterito, glandulae sudoriferae omnino in oblivionem veniebant et demum Purkinje Germanus atque eodem fere tempore Breschet et Roussel de Vauzème Galli de novo inveniebant. Describuntur glandulae tubulosae glomeratae, $^1/_6'''$ in diametro, quae in tela cellulosa sitae atque panniculo in adiposo abditae sunt. Ductus in excretorios transeunt contortos, qui corium atque epidermidem perforantes in cutis superficiem exeunt.

Ea, quae attinent ad structuram accuratiorem novissimis demum temporibus nobis explanata sunt.

*) Car. Frid. Ed. Mehlis commentatio de morbis hominis dextri et sinistri. Gottingae 1818. pag. 57. §. 75.

Koelliker*) in parietibus canaliculorum glandularum, quae sudorem secernunt, stratum fibrarum muscularium, quas vocamus organicas, demonstravit. Eckhard**) glandulas cutaneas bufonum perscrutatus in parietibus praeter telam cellulosam atque epitelium, etiam fibras musculares organicas fibras cerebrospinalium nervorum invenit. Fibrae nervi sympatici investigari non potuerunt. Ad glandulas magni eunt arteriarum rami atque eadem ratione magni venarum rami sanguinem reducunt. In interstitiis glandularum, tela cellulosa repletis ultimi vasorum ramuli decurrunt, qui in externo pariete in vasa capillaria transeunt. —

Bichat in Anatomia generali quaestionem ponit, num nervi quidquid valeant in perspiratione cutanea? In eo, quem ipse commemorat, casu aeger solum in paralysi affecto latere sudat; aliis autem in casibus e contrario observatum est, sudoris secretionem tantum existere in sano corporis latere. Bichat tum quaerit, num convulsiones, in quibus nervorum actio tantopere aucta, id quod nemo negabit, exhalationem majorem reddant? Num in corpore eximia sensibilitate praedito, nervi cutanei, qui omnes incitamentis et levissimis quidem tam facile afficiuntur, in perspirationem minimam quidem vim exercere possint? Concedimus igitur, Bichat inquit, in exhalatione cutanea aeque minus ac in secretione, qua rationi nervi valeant, si quidem omnino quid valent, nobis plane obscurum esse. —

---

*) Kollicker, Gewerbslehre. Bd. II.

**) Ueber den Bau der Hautdrusen der Kröten und die Abhängigkeit der Entleerung ihres Secretes vom centralen Nervensystem von C. Eckhard in Müllers Archiv für Physiologie. Jahrg. 1849.

Qua de re usque ad tempora novissima haud melius eruditi fuimus. Nunc vero experimentis nervorum efficacitatem in secretionem praecipue in glandularum demonstrare inceperunt. Eckhard, quum systema nervorum cerebrospinalium vel ejus fibras vel glandulas ipsas incitaret, hoc experimento dimissionem secreti effici animadvertit. Bufonis decapitati apparatu rotatorio, ut ita dicam, plexum ischiadicum disectum ac separatum incitavit; paucis secundis post totam posteriorem extremitatem, praesertim vero cutem supra musculos peroneos laterales secreto obtectam vidit. Experimento alio Eckhard sibi persuasit, fibras emissionem secreti efficientes in radicibus anterioribus medullae spinalis originem ducere. Glandulas sudoriferas homiatque mammalium eodem esse in consensu cum systema nervorum centrali censet. Quam ad opinionem argumentis confirmandam sudorem in moribundo exorientem et has observationes, quas ipse fecit, profert: in viro quodam, contusione plexus brachialis affecto, superficies manus, qui respondebat plexui, perpetuo sudabat; apud alium quemdam, neuralgia Nervi supraorbitalis correptum, hujus lateris faciei dimidium eadem ratione ad secretionem sudoris magnam inclinatum erat. — Ludwig *) experimentis nonnullis vim nervorum ad glandularum salivalium secretionem excitandam atque accelerandam nobis ostendit. Quamquam igitur, solum glandulas lacrimales, mucosas atque gastricas aeque se habere conjicit, atque ut ipsis ejus verbis utar, dicit „wohin die Speicheldrüsen zu zählen, lässt sich nicht

*) Neue Versuche über die Beihülfe der Nerven zu der Speichelsecretion, von C. Ludwig. Mittheilungen der Zürcher Naturf. Gesellschaft. Nr. 50.

einmal vermuthungsweise aussprechen „tamen hac re iterum nobis argumentum est allatum, nervos functiones trophicas, si ita dicere licet, exercere posse. —

Praeceptor summi venerandus, Ill. Heusinger ante paucos annos casum ad hoc spectantem communicavit*) nobis, de quo ejus verba paucis referre mihi liceat.

I. M., ein 21 Jahre alter, starker und kräftiger Schmied, wurde mit Spondylarthrocace cervicalis rheumatica in einem solchen Grad in das Hospital aufgenommen, dass das Kinn die Brust berührte und kaum von derselben entfernt werden konnte, und totale Lähmung der obern und untern Extremitäten vorhanden war. Vorzüglich durch den Gebrauch des ol. Jecin Aselli wurde er allmählig hergestellt, so dass er [nach Verlauf fast eines Jahres] mit gradem Hals und vollkommen freiem Gebrauch seiner Extremitäten entlassen wurde. —

Als dieser Mensch anfing zu stehn, was er Anfangs nur viertelstundenlang konnte, fingen immer seine Handteller, und nur diese, der übrige Körper so wenig, wie der Handrücken oder die Vorderarme, welche ganz trocken waren, an zu schwitzen; zuerst traten grosse Tropfen hervor, diese flossen schnell zusammen, und es träufelte das Wasser so von den Händen herunter, dass Tümpel auf der Erde standen; mehrmals habe ich in ein paar Minuten einen Esslöffel voll gesammelt. So wie der Kranke wieder im Bette lag, verlor sich der Schweiss auf der Stelle. Als der Kranke stärker wurde und gehn konnte, verlor sich

*) Eine höchst auffallende Secretions-Anomalie in Folge eines Leidens des Rückenmarks von Prof. Heusinger in Caspers Wochenschrift. 1847. Nr. 17. pag. 257.

das Symptom, aber seine Hände waren jetzt immer kühl und feucht; dies war noch lange nach seiner Entlassung der Fall.

Inter alia de hoc observatione dicit auctor:

„Dass ohne Spur von neuralgischen Schmerz oder Krampf, in Folge eines Leidens der Centralorgane des Nervensystems, eine solche peripherische und locale Stöhrung der Vegetation eintreten kann, das ist, meines Erachtens, eine wichtige und folgenreiche Erscheinung für die Pathologie; denn ebenso gut, wie Schweiss gebildet wurde, konnten auch Fxantheme, Geschwüre u. s. w. entstehn, und ihre Ursachen können uns in vielen Fällen sehr verborgen bleiben."

Jam si ea omnia, quae observata et experimentis satis perspicue demonstrata sunt, ad casum nostrum, sicut omnino sudorem unius tantum lateris recte explicandum, adhibere studemus, id nobis statuendum videtur, in latere, in quo sudor habitualis percipitur, actionem nervorum hic perpetuo auctam se praebere. Quamquam igitur in ipso casu nostro revera non possumus quin duplici columnae vertebrorum distorsione perturbationem aliquam functionis medullae spinalis effici statuamus, tamen nemo est, qui in dubium vocet, eam tantum in partibus mediis atque inferioribus existere, qua ex re parasim forsitan etiam nutritionem paullo minorem dextrae trunci partis deducere possumus. Ut vero ex declinatione columnae spinalis cervicalis ad sinistrum latus, partem cervicalem medullae spinalis esse perturbatam, concludamus fieri non potest, eo minus, quum nullum aliud symptoma, quod ad hoc spectat, observetur. Attamen si etiam hoc concedi-

mus, solum sudores secretio in colli dextra parte, nequaquam autem faciei dimidii hac ratione potest explicari. Cerebri turbationis symptomata omnino desunt, neglecta vertigine, cum parva, tum interdum solum exoriente. — In casu de quo Rocques verba fecit, symptomata quoque magnae perturbationis medullae spinalis et per totam quidem observata sunt, sicuti commotionis cerebri, quae, quamquam mox evanuerunt, tamen nobis quodammodo rationem aliquam ad faciei sudorem unilateralem explicandum proferre possunt. In reliquis vero, quos modo enumeravi, casibus, excepto illo quem Bichat descripsit, ne minimum quidem symptoma affectionis vel cerebri vel medullae spinalis nobis occurrit. Nullo igitur modo recte judicaremus, si habitualem, qui certo loco inhaerit, sudorem solum in perturbatione organorum centralium, cerebri vel medullae spinalis, habere causam et originem statueremus; quam ad sententiam casus, de quo ipse hoc in commentatione disputavi et ille quem Rocques tractavit, facile adducere videntur. Quotenus autem hoc loco systematis nervorum gangliosi rationem habere debeamus, hanc quaestionem eo minus certe solvere possumus, quum functionem nervi sympathici, praesertim quod ad vitam vegetativam pertinet, haud satis bene exploratam habeamus. Jam vero, opinione Volkmanni nixi, nervum sympathicum in nutritione magni esse momenti, a vero haud abesse videmur, si ita judicamus, ut eum in secretione sudoris uno tantum in corporis latere vel uno in parte nihil valere negemus.

Sed omnia, quae ad causam sedemque illius rei diligenti perscrutatione sine dubio valde dignae aperte expediendum aliquid momenti esse possunt, accuratius

comparare judicioque ita examinare, ut quaestio de sudore unilaterali tandem ad liquidum perducatur, hoc illis viris doctis concedere debemus, quorum ars studiumque est ipsa physiologia.

Itaque nos casus, qui huc spectant, enumerare, satis habemus et summo nobis esset gaudio voluptatique, si quam primum haec de sudore unilaterali quaestio a physiologis ea diligentia ac cura tractaretur, quae tali rei maxime videntur necessaria.

Theses.

I.

Ii errant, qui Choleram morbum non esse contagiosum contendunt.

II.

Therapia morbi maculosi haemorrhagici Werlhofii et scorbuti diversa est.

III.

Discrimen statuendum inter pulmonum apoplexiam et haemorrhagiam.

IV.

Non sunt symptomata, ex quibus certe typhus diagnosci potest.

V.

In permultis morbis disquisitione microscopica et chemica solum diagnosis certa fit.